



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

De perpetua B. Mariae virginitate & quomodo imitanda sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

STELLA

Christi: adhuc quomodo illam in his imitari possis. Considera modo ipsam fuisse simul virginem castissimam & purissimam quemadmodum sequens versiculus declarat.

ATQUE SEMPER VIRGO.

De perpetua B. MARIAE Virginitate, & quomodo imitanda sit.

CONSIDERATIO.

*B. virginē
Mariam
semper in-
violatam
extitisse
probatum.
Luce 1.*

*Testimo-
nium.*

IN contemplatione tua dixisti B. Virginem MARIAM semper extitisse purissimam & integerrimam virginem, quod verissimum & sacris literis, sanctorumque Patrum monumentis, rationi denique maximè conforme ac consentaneum est. Angelus dum B. Virgini nūciat ipsam obumbratione Spiritus sancti concepturam & parituram esse: declaravit nullius ibi hominis cōmerciū intercessurū. Propheta similiter, qui Virginē concepturā esse prædicit, statim eandem etiam sine detrimento virginitatis parituram

est

esse adiecit: quemadmodum SS. Ecclesie Doctores illam Prophetam sententiam hactenus intellexerunt & declararunt. Et certe quis credat Dei filium cum veniret in mundum ut virginitatem hominibus suaderet, illam matri nascendo ex ea auferre voluisse? Non decebat, inquit praeclarus Ecclesie Doctor Augustinus ut ille qui nobis adferebat salutem, matri praeiperet integritatis dignitatem. S. Ioannes in Apocalypsi sua virgines agnum, hoc est IESUM Christum, quocumque pergit sequi, & suauia cantica, quae nemo alius cantare possit modulari, scribit. Quis autem existimet Christum verum agnum his virginum prerogatiuis matrem suam spoliare voluisse, praesertim cum nulla eum ad hoc necessitas impelleret? Nunquid difficilius erat ei de ventre virgineo saluis virginitatis claustris egredi, & mundum intrare: quam cubiculum in quo discipuli propter metum Iudaeorum delitescabant, non reclusis ianuis aut seris.

*Ambr. epi.
Si. ad Syri.
Papam.*

*August. ser.
mon. 2. de
annunc.*

Apoc. 14

Ratione

B. 7 ingre

38 S T E L L A

*S. Ambr.
ad Syric.
Papam*

ingredi? Sileant igitur qui hanc B. Virgini prærogatiuam inuident: Namque vt S. Ambrosius ait, de via peruersitatis produuntur dicere, qui B. Virginem in cōceptu non autem in partu virginem permansisse aiūt: quasi Deus qui fecerat vt virgo permanens conciperet, efficere non potuisset. vt sine virginitatis dispēdio pareret.

*S. Ephrem,
de laud. B.
Virginis.*

Credendum igitur & confitendum est B. Virginem Mariam ante partum, & in partu, neq; hoc solum, sed etiam post partum toto vitæ suæ tēpore virginē inuiolatam permansisse. Hoc ita esse ratio confirmat.

Nam alioquin aureolam virginitatis perdidisset, quod de illa cogitari nō potest sine magna iniuria filij, si alias foeminas plurib. privilegijs decorasset, quā dilectissimam matrē suam. Præterea Christus vnicus erat Dei Patris filius, cōgruebat ergo vt vnicus ēt B. Mariæ genitricis suæ filius esset. Atque vt alias innumeras rationes silentio præteream, quomodo fieri potuit, vt vterus

VIL

virgineus, qui fuerat domicilium
atque sanctuarium diuinitatis, ge-
nerationi alicuius puri hominis de-
seruiret? quid hoc aliud fuisset quā
sacrum Dei templum per summam
indignitatem polluere, & gloriæ
Matris Dei turpem maculam inu-
rere?

Ad Iosephum B. Virginis spon-
sum quod attinet, ille sacris literis
attestantib. homo iustus erat, ac vo-
to perpetuæ castitatis & cōtinentiæ
cū sponsa sua (cui S. Patres & Eccle-
siæ Doctores suffragantur,) sese ob-
strinxerat, atq; idcirco voti sui me-
mor eā violare ne cogitatione qui-
dem vnq̄ conceperat. Adhæc san-
ctus hic vir in sponsa sua tam eximi-
am dignitatem & sanctimoniam a-
nimaduuerterat, vt eam miro affectu
coleret ac reuereretur, seque non tã
maritū, quā seruū esse meminisset.
Adde quod odor virginitatis huius
sanctissimæ foemine tã fortis & effi-
cax erat, vt quicquid pudicitie quo-
uis modo contrarium esset, facile
repelleret ac propulsaret. Hoc illa

*Obiectio
quædam dicitur
huius
Matt. 3.*

*August. li.
de virgin.
cap. 4.*

Eccl. 24.

in scripturis de seipsa testatur. *Ego,* inquit, *quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.* Sicut enim odori vinearum florentium proprium est serpentes & alia venenata animalia fugare: sic odori castitatis singularis virtus & efficacia inest, omnes impuras concupiscentias & appetitiones carnis extinguendi.

*Quomodo
feri possit
vt coniuga
ti sine car-
nis comer-
cio simul
vivant.*

Non me latet, fidelis anima, illos qui delicijs & voluptatibus carnis immerfi sunt, comprehendere non posse, quomodo fieri queat, vt maritus cum vxore, non aliter ac frater cum sorore sine carnis commercio viuat. At qui dulcedinem & suauitatem spiritualium consolationū experti sunt, id satis cognitum & exploratum habent. S. Alexius cum post nuptiarum celebritatem peractam, prima copulæ coniugalis nox adesset, cum sponsa perpetuam amplexatus est continentiam, eamque ad extremum vsque spiritum inuiolabiliter custodiuit. S. Virgo Cæcilia simili tempore atque occasione sponsum suum Valerianum,

*S. Alexij
castitas.*

*S. Cæcilia
castitas.*

vt

vt à suo concubitu se abstineret, obsecrauit, quod posteaquam ille prestitisset meruit post sacri baptismatis susceptionem Angelum qui pudicitiam sponsæ suæ inuiolabiliter custodiebat, conspicerè. Henricus Imperator illius nominis secundus, cum vxore toto matrimonij tempore vitam egit continentissimam, cumque hora mortis adesset, vxorem suam parentum manibus tradidit, sanctè contestans, se illis eam ita intactam virginè reddere, quemadmodum illam accepisset.

*Henrici
Imperato.
castitas.*

Eadem continentia vitam exegisse legimus Iulianum & Basilisam nobilissimo Romanorum senatorum sanguine procreatos. Eleazarum etiam & Daufinium illustrissimo apud Francos genere ortos. Alios denique quamplurimos cuiusque conditionis homines.

*Surius in
vita Eleazar.
zari.*

Ex quibus liquet castitatem & virginitatem Deo iuuante & hactenus conseruatam fuisse & conseruari posse: ac proinde absurdum non esse credere IESU Christi libera-
toris.

toris nostri Matrem virginem permanisse, nec quicquam matrimonium cum sanctissimo viro Iosepho initum illius pudicitiae derogare. Quo exemplo euidenter damnatur & coarguitur illorum impudentia & incontinentia, qui ne castitatem quidem nuptialem custodiunt, qui- que coniuge sua neuiquam contenti in omnia impuritatis genera cum effroenata mentis cupiditate, ruunt, omnibusque se libidinum maculis contaminant.

Can. 4.

Sed ut ad B. Virginem Mariam reuer-
tamur, dico: Quelibet fidelē & Chri-
stianū credere ac confiteri illā sem-
per virginem immaculatam extitit-
se: utpote quæ fuit *hortus conclusus*
& *fons signatus*. Porta est, uti ante in
contemplatione tua meministi, *ori-*
entalis semper clausa & lucens:

Ecclix inquam cœli por-

ta.

FOELIX